

DISSERTATIO HISTORICA
SISTENS
*PRIMORDIA JURIS COMITIORUM
PRISCIS SVÆCIÆ INCOLIS PROPRII.*

PARS PRIOR,

QUAM

VENIA AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENS.

PUBLICÆ EXAMINANDAM PROPONIT

JOHANNES HENRICUS AVELLAN,

PHILOS. PRACT. DOCENS

RESPONDENTE

LAURENTIO JOHANNE PRITZ,

NOBILI, WIBURGENSI.

In Atrio Biblioth. Novo, Die XIII Maji MDCCCIX.

H. A. M. S.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

THE HISTORY OF THE

REIGN OF KING CHARLES THE FIRST

BY

JOHN BURNET

IN TWO VOLUMES

LONDON

PRINTED BY R. CLAY AND COMPANY

PRINTERS

IN THE YEAR 1724

ALBANY: PRINTED BY G. B. WHITTAKER



PROEMIUM.

Difficili absque negotio, & ipsa quidem rei natura favente, inter plerosque convenisse videtur: nullum fere firmitus ad salutem civitatis ejuseunque publicam muniendam, substrui posse adminiculum, quam quod e consiliis ipsorum civium recte initis ac diligenter collatis hauriatur. In promptu enim est: numquam quæ omnibus opus sit, melius resciri posse, quam si omnes ipsa indicent; nec ulla unquam decreta justaque magis rata esse habenda, quam quibus qui morem gerant ipsi itidem fidem interposuerint. Si ab altera autem parte is, aut ii, penes quos summa imperii est, potestate sibi commissa abutentes, legum fundamenta disjicere, justamque ac moderatam civium libertatem in servitutem commutare concupiverint: tanto huic malo porta vix præcludi potest, nisi a civibus, consiliorum habendorum gratia animoque ab omni factionum studio alieno, amice & legitime convenientibus. Ejusmodi itaque comitali potestate & communem omnium securitatem optime custodiri, & Legum sanctitatem, veluti moenium quorundam inexpugnabilem præsidio

praesidio circumvallatam, tutissime communiri, probabile sane est.

At si quæras, qua potissimum ratione agrestis rudiorque populi cujusdam vita in civilem magis & humaniorem cultum perducatur, expeditior vix opportunitas ad tantam tamque arduam rem perficiendam inveniri poterit, quam quæ civium cœtui eo loco & tempore aperiat, ubi singuli in unum convenientes, tam quæ singulis necessaria & utilia sint, quam de variis suis juribus varia cedere discunt, quo ipsi una cum cunctis, publicam salutem privato commode preferentes, ad perfectiorem & re etiam vera feliciorem evehantur vitæ conditionem.

Quantam igitur causam, quamque felicissimo successu dignam, conventuum celebrandorum, antiqui orbis laudatissimi Populi habuerint, hodiernique habeant, quemquam haud facile latet.

Sed nobis quidem animo contemplantibus, quot & quanta incrementa res hominum, societate civili conjunctorum, capiant, si securitatem suam a quovis injusto impetu tutam, & libertatem castam ac legitimam ab iniqua oppressione intactam continere & defendere valeant, in mentem non potuit non incurrere insignis, a jure comitiorum plerisque gentibus redundantis, ad sanctissimam hominibus rem servandam adjuncti recordatio.

Hinc igitur ultro fere semet nobis, dissertationem Academicam conscripturis, obtulit materia, ex Historiæ quidem ditione omnis convehenda, & indubijs rerum exemplis ita adornanda, ut firmiter contestatum exhiberiqueat

queat documentum & securitatis tutatæ, & libertatis conservatæ, & cujuscunque demum insignioris commodi, ex instructis bene comitiis enati.

Verum hæc ita comparata materia, cum & latissime pateat & sagacissimæ sit indaginis; satius duxerim, atque exiguis meis viribus æquius, particularem tantum quandam juris comitialis, in una aliqua civitate vigentis, ita enarrandam suscipere historiam, ut commoda quævis exinde profecta leviter attingens, res, quæ originem juris hujusce & rationem explicent, maxime proponerem.

Atqui cum domestica quævis cuique carissima esse soleant, dubius neque ego diu hæsi, quin potius Patriæ Fennicæ juris comitialis enarrationem, aliis quibuscunque mox prætuli. Sed simul ferme ac manum rei admove-re conatus sum, intellexi, mancam admodum atque perspectu difficillimam omnem fore juris comicialis Fennici historiam, cui dilucide satis explicata, Svecanorum comiti-orum ratio, non præmissa atque conjuncta fuerit. Etenim satis in promptu fuit, nullam fere ad nostrum usque tempus Reipublicæ Fennicæ exstare historiam, nisi cum Svetica conjunctæ (a).

Cum vero qualibet Juris Comicialis Svecani ad intelligentiam accommodatior expositio, neque a præcisissimum

A 2

nimium

(a) Qui de monumentorum, Finlandicæ rebus, eo tempore quo Svecorum adjecta est imperio, antiquioribus, lucis aliquid adfundendum defectu certior fieri velit, consulat virum de Patriæ Historia longe meritisimum, Celeb. PORTHAN, in Chronico Episcoporum Finlandensium Juusteniano, pp. 58 - 63.

nimum proficisci initiis, neque interrupta continuari serie debeat; hoc quidem tempore in narratione quadam de primævo comitiarum Svecanorum habitu, jurisque inde enati originaria ratione, subsistendum esse mihi judicavi.

Qua in re eo rectius me fecisse crediderim, quo apertius sit: omnem de recentiore vel gentis cujuspiam, vel civilium institutorum conditione, quæstionem feliciter expediri non posse, nisi primitiva eorum enucleata antea indole atque obfussis quasi antiquitatis tenebris extricata. Sed cum id in me suscepim ut *primordia Juris Comitialis præsto Svecico Populo peculiaris* describere coner, extra illa, quæ paganica dici possint, tempora, quæstionem nunc quidem non extendendam esse, ideo existimavi: quia, cum intra ejus ævi limites, aut in consuetudines gentis, aut in civilia instituta, alieni sive exotici aliquid irrepisse vix suspicari queas, tam quæ mores, quam quæ formam Republicæ spectant, sibi maxime consimilia unum quoddam absolutum atque a sequentibus sæculis notabiliter distinctum constituunt.

Utrum vero telam, quam qualitercunque exorsus sum, hac disertatione reseceam, an ulterius pertexendam resumam, id est de quo certi non habeo quod promittam, cum a forte, quam e capaci fatorum urna propitium Numen aliquando largiatur, potius quam a mea voluntate pendeat.

Sed ad rem propositam jam perveniam.

= § =

I. §.

Primitiva comitialis juris, Ynglingorum periodo, ratio.

Primum quidem comitialis in Svecia juris ortum ita optime comprehendere licet, si, quis fuerit summarum apud Svecos rerum status, ea comminiscendo quæ de antiquissimis temporibus Historiæ aliquanto collustratis luce in comperto nobis sint, leviter adumbraverimus, Arcto enim adeo nexu comitiorum ipsa initia cum ceteris rebus imperii summam spectantibus conjuncta fuere, ut si ab his divellantur, vis eorum in quo constiterit, discerni nequeat.

Status igitur civilis conditorem Sveciæ incolis Odinum fuisse merito statui videtur. Temporibus autem proxime eum subsequenibus, & adhuc plura per sæcula, Ynglingica nimirum regum familia Regni gubernacula tenente, absolutiori quam postea imperio regio Sveci paruerit. Cui rei præterquam quod fidem faciunt, historici rerum Svecicarum scriptores (b), multum probabilitatis etiam affert opinio, quam apud populum tum temporis invaluisse, constat, de divina Ynglingicæ gentis origine.

Reges igitur, *Upsaliæ* sedem habentes, magna quædam imperandi potestate fruebantur, quippe qui & hereditatis

(b) Vid. ex. gr. LAGERBRING *Svea Rikes Historia* D. I Cap. 9. -- Eiusdem (nom. BRING) *Dissertatio* (Lond. Goth. 1752 ed.) de *Antiquitate Distinctionis populi Sviogothici in Ordines* §. IV. p. 6; et BORIN *Svenska folkets Historia*, (Stoekh. 1789) I. Band, V. Cap. pp 102, 103 & 105, ubi reges etiam non delectu sed hereditatis jure in regnum successisse docet.

ditatis jure ad regnum accederent (c), & perpetua sibi tributa pendenda curarent (d) summamque litigantibus jus dicendi potestatem (e) atque expeditiones bellicas, quas ad Regni defensionem necessarias crederent, jubendi licentiam sibi vindicarent (f). Præter hos vero reges, supremo loco conspicuos, alios etiam regio nomine, provincialium nimirum & territorialium sive tributariorum (*Fylkis* och *Härads* eller *Skattkonungar*), sylvestrium & promontorialium sive maritimorum (*Skogs-* och *Näs* eller *Sjökonungar*) ornatus fuisse, notum est. Quin immo reguli hi, præsertim provinciales, licet legitime Upsalienſium regum imperio subjecti (g), eodem fere atque illi imperandi jure uti sunt (h), tantaque potentia valere, ut tandem sese non opprimendi modo, verum etiam penitus extirpandi cupiditatem vel potius necessitatem Upsalienſibus incurerent.

Quæ tanta hominum regia dignitate atque auctoritate eminentium frequentia, si cui suspicionem, ereptæ præcis Sveciæ incolis libertatis impositæque servitutis, moveat, magnopere quidem oblata specie se falli sinit. Namque rem cuique propius inspicienti facile patebit, multitudinem

(c) SNORRONIS STURLONIDÆ *Historia Regum Septentrionalium in Anglingorum vitis* (Ynglinga sǫga).

(d) STURLONIDES lib. cit. edit. PERINGSCHÜLD I. T. Yngl. Sag. Cap. 3 p. 10; cfr. Cap. 12 p. 12.

(e) LAGERBRING I. c. Cap. 9 §. 8.

(f) LAGERBRING, ibid.; WILDE, *Sveciæ Historia Pragmatica*, p. 192.

(g) BOTIN I. c. pp. 103, 104; WILDE I. c. pp. 122, 123; cfr. pp. 129, 130. §. 28 comm. 1 & 3.

(h) WILDE I. c. p. 192 §. 37 c. 8.

ordinem hancce principum regionatim simul iubentium, carissimæ ortum debere memoriæ evanescentis jam tum canæ illius antiquitatis, in qua lenie parentum in suos imperium, patrio animo exercitum, liberorumque affectu observatum, singularem singulorum agere studuerat curam (2).

Qua de re vix dubitabit, qui vel præcipuorum quorundam institutorum, prima juris comitialis Svecani fundamenta jacentium meminisse nobiscum non fastidiuerit.

Con-

(2) De domesticæ rationis paternæque auctoritatis in regium imperium commutatione, in antiqua præsertim Scandia sensim facta, concinnam pariter atque ad rei veritatem scite accommodatam disputationem vide apud WILDE, libr. cit. Cap. II. §§. 22, 23. Cum præterea præcorum Germanorum Svecorumque, utpote quæ ambæ ejusdem profapiæ gentes, instituta & consuetudines magnam inter se habeant similitudinem, non alienum videtur, nonnulla huic rei lucem etiam afferentia, e libro, multis nominibus digno, qui ab harum rerum cupidis consultetur, CAROLI DIETERICI HÜLLMAN: *Geschichte des Ursprungs der Stände in Deutschland*, hic inserere: Von dieser (eines ländlichen Privatgebiets) Verfassung, inquit p. 17 partis I, war die älteste Constitution des Statgebiets, die *Urvorfassung der ackerbauenden Altheutschen Völkerschaften*, eine veredelte, und im Großen ausgeführte, Nachbildung. Ein bloßer Inbegriff ländlicher Grundstücke und einzelner Wirthschaftshöfe, war jedes der kleinen Reiche nicht viel mehr, als ein großes Landgut mit vielen selbständigen Vorwerken. Der reichste Landeigenthümer, als solcher der angesehenste, war das Haupt des Grundherrn-Vereins; er beschligte in Nationalkriegen, hatte den Vortrag in den Volks-Versammlungen, und führte die Aufsicht bei der Selbstgerichtsbarkeit der Staatsbürger. Quæ deinde addit de Incolarum parvis istis in regnis sedem habentium, non pleno domini jure, im præcos Svecos handquæquam pariter quadrant,

Conveniebat igitur quotannis Upsalix (k) ad divinam rem faciendam totus populus, rudis quamvis & barbarus, verum pectoribus tamen, ut omne humanum genus, religionis quodam sensu perfusus. Munus maximi Pontificis, Deorumve interpretis rex obibat. Duodecim proceres, *Diarum* seu Drottarum nomine insignes, iidemque juris publice dicendi præsides, ad hostias cædendas, ceteraque sacra rite administranda operam conferebant (l). Pro frugum perceptarum ubertate, pro felici satorum incremento, pro pace ac victricibus armis, vota cuncti Diis faciebant, solvebant (m).

Piis itaque his ritibus occupatorum aliquos, antistites nimirum sacrarum rerum, manu ductorum quidem parentumque loco, ceteros omnes liberorum instar, fidenter se in illorum tutelam tradentium, merito habere possis.

Cujus

(k) Primarium sacrarum locum hic nominasse rei nostræ convenire videtur, quamvis, aliis etiam in Regni partibus, sacrificia, regulorum, vel alius cujusdam viri principis auspicio, perpetrata fuisse, notum sit (v. LAGERBRING l. c. C. 15 §. 11). Animadvertendum vero hæc putaverim; quod, quemadmodum sacrificia universalia Upsalix mense Februarii (att mihiom vetre ... Gee) peracta, quippe quibus ex lege Odini nummus tributarius virgum (furer Ref huert, pro quovis naso l. capite) tam ad sacrificiorum quam belli usum impendendus solveretur, (v. Sturl. Yngl. f. cap. 8, efr. cap. 12) ansam judiciis & consiliis publicis habendis dederunt; ita etiam quæ in provinciis sacra fierent, cito quidem provincialis feri & concilii induisse formam videntur. Cfr. Lagerbring l. c. Cap. 10 §§. 9, 10.

(l) STURLONDES l. c. Yngl. sag. C. 2 p. 2. Drottæ quidem hi, ordinem illius rei sacerdotalem constituentes, quibus, præ ceteris civibus, distincti fuerint juribus, docent STURL. l. c. & WILDE lib. c. C. 2 §. 28 c. 3, §. 30 cc. 7, 8, 9.

(m) BOTIN Sv. E. Hist. I B. p. 97. et p. 98.

Cujus rei, ita fere etiam ejus ævi Suecis existimatae, hoc maximum documentum equidem habeo: quod, cum sacrificia anniversaria obeundi gratia, frequentes convenirent, de summis rebus consulendi atque aliquid statuendi potestati licet muniti, hac tamen aut plane non, aut certe rarissime usi sunt (n). Quid quod, quamquam armis telisque, pro quibus tamen plerique nonnisi lapidibus, clavisque ligneis utebantur (o), aut instructi essent, aut certe perfacile semet instruere possent, hinc occasionem regiae auctoritati debitam obedientiam abjiciendi, vel rebellatricem quandam vim inferendi, florente Ynglogica stirpe numquam arripuisse, reperiuntur (p).

B In

(n) LAGERBRING lib. cit. Cap. 10 §. 9. Ubi etiam hæc occurrunt: "Och torde Riksdagar hafva varit förflynta nog, så länge Ynglinga-Släkten regerade, och menighetens förtroende försedt Öfverheten med all den magt, som i de tider var outgängelig till Rikets försvar."

(o) LAGERBRING l. c. Cap. II, circa initium §. 18.

(p) Huic assertioni non repugnant, quæ de Domaldo in frequentissimo Svecorum conventu (et scripta Hauss komo Estiar stam-ment til Uppsala) Diis immolato vetera documenta referunt. --- (Sturl. l. c. Yngl. sag. cap. 18 p. 18). Cum enim graves & publicæ calamitates, quæ pro plagis ab iratis Diis immisissæ habebantur, nonnisi nobilis sanguinis esset piaculo (cfr. Lagerbring l. c. Cap. 15 §. 9 et *Bolin* l. c. p. 96) averti ac repelli crederentur, pluresque per annos fames & difficillima annonæ caritas populum oppressisset; quid, quæso, mirum si sedem populus, quippe qui post Deos, opem sibi & tutelam a principibus suis maxime expectasset, in inquam ad consultum regem, quo iidem hi principes regem pro omnium salute Diis consecrandum esse decernerent? (v. *Sturl.* loc. cit.) Nec magis tumultus, qui in *Wisorum*, *Hagleicum*, *Aunum*, & qui sint ceteri, commoti fuerunt, seditionis gentis animis, sed aut quibusdam familiarium

In arbitrio igitur regum suorum, eo tempore, Suecos, utpote qui illis sapientiam ac justitiam, publicæque salutis curam, non solum paternam, sed potius, ut numinibus competit, divinam, opinione sua attribuerent, maxime acquievisse, facile jam credas. Id quod ulterius etiam, eorum, circa sacrificia versantium, epulis, crebrisque poculis immoderatus indulgendi mos (g), vacuos a gravioribus negotiis curisque animos aperte prodens, comprobatur.

Quamobrem hujus ævi Suecos, quamquam regibus suis numquam non parebant, id tamen a nemine coactos, sed sua sponte fecisse, libertatemque suam, conventuum, originitus quidem Diis consecratorum, præsidio, semet ipsis principio forsitan insciis, custoditam habuisse, ex his jam colligi licet.

Sed præter libertatem, quali jurium æqualitate, conventuum etiam universorum adminiculo suffulta utebantur, de hoc jam videndum.

Omnes itaque, qui liberi vel ingenui nascerentur (r), domum suam, qua lege ipsis placeret habebant, terramque pro

factionibus, privata regum offensa constatis, aut externarum hostium incursionibus adscribendi sunt. Quod ex vitis horum regum a *Sturionide* (Yngl. s.) narratis ac apud *Lagerbring* descriptis colligere liceat.

(g) *STURIONIDES* l. c. T. 1, *Adalsten Fostres Saga*, Cap. 16 p. 141; *LAGERBRING* Cap. 10 §. 9.

(r) De servorum in Svecia per hanc ætatem conditione, atque ingenuo cuique licitis mancipia acquirendi modis vid. *LAGERBRING* l. c. C. 10 §§. 1, 2; *BOTIN* l. c. pp. 137, 138.

pro lubitu colebant (s). Conventibus, rei divinæ causa præsertim, ut jam indicatum, celebratis interesse, ibique regi pecuniam, unde & sacrorum procurandorum sumtus suppeditarentur, & belli cujuscunque necessarij subsidia quærentur, solvere (cfr. supra not. k), & militiæ nomen dare (t), singulis ingenuorum injunctum fuit: æque ac præterea cuique, juris sui violatorem vel proprio Marte punire (u), vel, quod tamen rarius evenerit, ad causam judici dicendam addigere (v) honestum & licitum.

Quæ omnia, communium vel jurium vel officiorum loco, cum cunctis liberis, seu ingenuis civibus essent; non difficile perspectu erit, conventuum maxime ope eadem vel exigi vel præstari tum temporis potuisse.

Sed universus ingenuorum cœtus quomodo sensim in duas classes vel ordines divisa fuerit, e re est ut nunc dicamus.

Cum ea adhuc tempestate, ex omni fere parte per multa loca cujuslibet ferme utilitatibus paterent; liciumque idcirco semina parcius jactarentur, controversæ quæ exstiterent causæ patrum plerumque familiarum auctoritate dirimerentur (x), vel singularium eventu certaminum conficerentur; non magna sane hominum publica munera

B 2 obeuntium

(s) BOTIN l. c. pp. 101, 108, 109, 115, 116.

(t) WILDE Hill. Pragm. Sv. Cap. 2 §. 37, comm. 7 p. 192; cfr. Lagerbring l. c. Cap. 11, §§. 12-17; Botin l. c. p. 116.

(u) BOTIN l. c. pp. 110, 127, 128.

(v) LAGERBRING l. c. Cap. 11; Botin l. c. p. 103 et Cap. vi.

(x) BOTIN l. c. p. 107; cfr. p. 102.

obeuntium multitudine opus fuisse facile apparet. Interim tamen, regum & his generis antiquitate non secundorum (y) regulorum familiis in dies magis magisque accrescentibus, fieri non potuit quin plerique eorum cognati ac propinqui, præsertim qui honestioribus factis, honore se non indignos præbuerant, amplioribus etiam quam ceteri cives præmiis quibusdam decorarentur.

Hi itaque omnes illustrium nomine, TIGNARMÂN appellabantur (z). Quin etiam & his nonnullos muneribus quibusdam publicis præfectos, Jarlorumque & his inferiorum Herferorum titulo insignitos, jam tum fuisse (aa) credas. Namque eo jam tempore, qui tributa a populo pendenda, prædiorumque privati domini jure a regibus habitorum (bb) redditus colligeret, qui bellicarum expeditionum aut dux, aut saltem adjutor regi esset, qui denique etiam si non cuilibet ingenuorum civium, at certe tamen regum

(y) WILDE l. c. Cap. 2 §. 28 comm. 2 p. 130 et §. 37 c. 9 p. 193; cfr. BOTIN l. c. p. 103.

(z) BOTIN l. c. p. 101; Cfr. *Bring* de Antiqu. Distinct. in Ord. §. II p. 3, et §. VI p. 10.

(aa) Cui etiam sententiæ adscriptur BOTIN l. c. p. 103, singulis quoque regulorum suum forense tribunal (*judiciumque rurale, lands-ting*) Jarlum præterea (& Legiferum) adscribens; quamquam deinde ejusdem libr. 2 parte p. 170 ceteros rerum Svecicarum scriptores non profus immerito, crediderim, accusat neglectæ distinctionis inter Jarlos antiquæ ætatis & sequioris, qua scilicet potestatem regis majestati fere æmulam exercerent. Cfr. l. c. pp. 168, 169, 170 et Part. 1 p. 283.

(bb) Redditus, quibus privatos maxime curarent usus, regibus e prædiis, quæ nomine *Upsala ôde* vulgo veniunt, ab YNGONE (Frey) forsitan fundatis & a BRAUTANUNDO adauctis, fluxisse testatur *Stur-louides* l. c. Cap. 8 p. 10. et Cap. 37 p. 24.; Cfr. BOTIN l. c. p. 114 fq.

regum famulis, colonisque latius per provincias dispersis inter se litigantibus, arbiter pacisque reconciliator existeret (cc), vel privatæ regum utilitatis gratia constitutum fuisse aliquem probabile est. Ad hæc autem munera, non nisiis qui titulo *TIGNARMÂN* ornarentur, nobiliumque ita ordini, illis jam sæculis ortum darent, aditus patebat (dd). Quæ res, cum paulo ante viderimus, quæ præcipua jura omnibus ingenuis communia essent, hic antiquissimi cujusdam privilegii, nobilium quidem ordine reservati, exemplum sit.

Sed alteri, eidemque vastiori ac potentiori ingenuorum societati, quippe quæ omnes ceteros, cum regibus non consanguinitate vel affinitate conjunctos, ideoque nec ad nobilitatem evectos complecteretur cives, suum quoque peculiare quoddam jus competitivisse, in dubium vocari nequit. Atque omnis horum multitudo, humilio-

re

(cc) Cum constet, Legiferos in singulis quidem provinciis eos fuisse, quos arbitros in causis suis maxima pars civium ingenuorum, vel omnes ii, qui illustrium titulo non conspicui, *BAEUNDUR*, *Bönder* appellabantur, sibi constituerent (cfr. infra p. 14 et not. ff), sententiasque ab illis latis, a populo magni æstimatas ac legum deinde loco habitas (v. *Sturl.* l. c. *Olof H. Sag.* cap. 76 p. 478; cfr. *Botin* l. c. r D. p. 112); probabile sane est ne regum quidem, quid dicam Jarlorum, in dirimendis ingenuorum horum (*Bondonum*) litibus præstitam, valde magnam seu assiduam fuisse operam. Cfr. *LAGERBRING* l. c. Cap. 6 §. 4. p. 287 sq.

(dd) Quod institutum etiam postea, cum Jarli minus hereditario jure quam ex regum arbitrio constituerentur, observatum videtur. Nec rei probabilitatem tollit, quod ingenui & potentis, sed ignobilis viri *Skoglar Tostii* filium *Ulf* in Jarli dignitatem evexit rex *Ericus Segerfäll*, quippe quia antea regii tori consortem reddiderat forem illius *Sigrid Storråda* fratremque ita affinitate sua nobilitaverat. Cfr. *LAGERBRING* l. c. Cap. 10 §. 3.

re quidem sed honesto tamen nomine, ODALMÁN vel ODALBÓNDER, (in antiquissima lingua HAUIDAR seu BAEUNDUR) h. e. proprii fundi domini, a nobilibus distinguebantur (ee).

Laudati vero juris loco hisce fuit, quod in quavis provincia de suo cœtu vel ordine electum habebant tribunum quendam, *Laugmaður*, *Laugman* sive *Laga-yrkir* (h. e. Legiferum) ab ipsis vocatum, quippe cujus esset, vetera ditionis suæ instituta ac sententias ante latas, legumque loco deinde habitas, & nosse & controversiis dijudicandis accommodare (ff). Disquisitioni igitur & sententiæ hujus ita ipsis privatim quasi constituti iudicis, omnes in disceptationem vocatas res subicere licitum illis ac legitimum fuit; quamquam si qui potius causam suam

(ee) STURLONIDIS, l. c. Harald, Hårf, S. Cap. 27 p. 104 vocabulum, *Hauidr rett*, jus piebejum interpretatur *Peringskvid*. Cfr. *Wilde* Cap. 3 Sect. I §. 11 --- comm. I et 6; et *Bohm* I D. p. 2 83.

(ff) Probabilitati non satis convenienter *Lagerbringium* l. c. Cap. II §. 3 p. 383 conjicere putaverim, primos ab ultimo Ynglingicæ stirpis rege *Ingialdo* constitutos forsitan esse legiferos; cum temporum istorum genio magis arridere videantur quæ *Wilde* Hist. Pragm. Cap. 2 §. 16 comm. 6 habet: "Inde (quod nimirum Legiferi officium in una alteraque stirpe heridate sepe per plures generationes transmissum deprehenderat) conjicio, quod cum seniorum inter patresfamilias, tamquam experientia usque rerum, inde etiam prudentia & moderatione præstantissimum, ex ejus aevi consuetudine & persuasione, ut plurimum eligerent arbitrum in unaquaque vicinia, inde tandem factum sit, ut consensu tacito, & quadam quasi præscriptione temporis, penes illum ejusque descendentes manserit arbitrium, sive æstimatione patris, sive quod ipsimet moderatione, æquitate & justitia stirpis existimationem & dignitatem sustinerent, & juris, quod tum temporis in meris præjudicatis & æquitate consistebat, omnium viderentur peritissimi."

suam vel ad regis solium vel Jarli tribunal submittere vel-
lent, ab horum, neque hujus neque sequentis periodi in-
tervallo (gg), aditu, ut verisimile videtur, arcebantur.

Multum vero Ynglingicæ jam ætatis Legiferos & ob-
sequio ac fiducia populi in suis provinciis, & auctoritate
apud reges valuisse, probabiliter quidem conjici, sed ta-
centibus vetustarum rerum illarum testibus, accuratius ta-
men definiri haud potest.

Ex dictis autem jam apparet, universam Sviogothi-
corum Societatem, ex liberis quidem & sui juris homini-
bus compositam, in duas sensim quasi partes *Tignarmån*
& *Baeundur*, tractam ac separatam fuisse. Cum vero eo-
rum, qui principio dignitate ac jure pares fuerant, qui-
dam generis nobilitate inclarescere atque eminere, ceteri
vero multitudine sua potentiores fieri cœpissent, non di-
u potuit evitari, quin latissimus utrarumque partium
æmulationi & contentioni aperiretur campus. Quæ con-
tentio, multis certe sæculis ante & forsan in ipsis suis ini-
tiis, jam suffocata fuisset, & in immitem pro temporum
ratione numerosioris civium partis oppressionem ac ser-
vitutem turpiter commutata; nisi sacra sæpiusque nobis
laudata comitia facto interposuerant moram.

Publicum itaque comitiorum jus, quod statis tempo-
ribus solenniter conveniendo sibi sensim vindicavit Gens
Svecana, singulare ipsi & *publicæ libertatis & æqualitatis*
sive jarium communium præsidium fuisse primum videre
est.

(gg) Cfr. LAGERBRING I. c. I Del. Cap. 6 §. 4 p. 287. Ubi men-
tio provincialis regii (forte correctorii, Rättare Ting) iudicii inje-
cta est.

est. Porro patet firmissimo contra quoslibet procerum ceteros cives opprimendi conatus propugnaculo, idem jus fuisse. Neque id non significandum est: universalibus his ipsis populi Sviogothici conventibus maxime cautum fuisse (*bb*), ne universa Gens ad exemplum Germanorum (*ii*), quibuscum de cetero pleraque instituta habuere communia, in diversas, admodum parvas atque impotentes, domesticam familiarum imitantes rationem, periodo Ynglingica dilaberetur societates.

Quod si populi, rudes modo superstitionis Religionis suae ritus sequentis, ac vix dum communem sibi ex consilio conferendis utilitatem opinione augurantis, conventus solennes libertati ceterisque juribus & emolumentis nativis munimentum jam antea praebuerant, quam violationi eadem exposita esse vel suspicaretur natio; enixius sane multo eandem ex hisce conventibus causae suae praesidium quaesivisse, mox ubi cum de hac tum de genuina illorum vi experientiae ope paulo edoctior fieret, facile quidem praefragias.

In

(*bb*) De obligatione comitia Upsaliensia visitandi Regulis etiam injuncta vid. STURL. l. c. Yngl. Sag. Cap. 38, p. 443. Ol. H. S. Cap. 76 p. 477. Cfr. BOTIN p. 103 sq.

(*ii*) De publico, in antiqua Germania rerum habitu K. D. HULTMANN in *libr. cit. part. I* inter alia haec habet p. 68: "die Begriffe von Ehre und Freyheit hatten (von den in den Freystaaten des classischen Alterthums obwaltenden) eine ganz verschiedene Richtung im alten Deutschland, einem Lande, dessen öffentliche Verfassung ursprünglich ein System der landwirthschaftlichen Abgeschlossenheit war, da sich die einzelnen Gehöfte, kleine Familienstaaten, unter einander blos im genauern völkerrechtlichen Zustande befanden, wo also, genau genommen, die Begriffe: Staatsgesetzgebung, Nation, Mitbürger, Gemeingeist, fremd waren."

In proximum idcirco temporis intervallum, ut veteres Svecos sequamur res jam postulat.

§. 2.

Comitialis Juris Lodbrochidarum ævo habitus.

Cum igitur *Ingiwaldus* (Allråda), ultimus de Ynglingica stirpe Sveciæ rex, augescens nimium & ingruentibus regulorum opibus, potestatem regum Upsaliensium indies decrescere & in angustias compelli sensisset; conceptum animo de regulis extirpandis consilium simul fere atque in regnum successit & vi & astu exsequabatur (kk). Quo facto cum in odium civium suorum, nec sibi met mitem dominum post talia ejus ausa ominantium, incurreret, infensos civium animos felicissime sibi reconciliaturum esse judicavit, si æquitatis & publicæ fidei, si securitatis denique jugiter servatæ, certa quædam ederet pignora (ll).

In quo nisi eum quidem successu non omni caruisse credas: cum nempe historiæ monumenta, quæ res eo

C

rege

(kk) V. STURM. l. c. Yngl. Sag. Capp. 40 & 43. Wilde l. c. Cap. 2 §. 38 cc. 1 & 2. p. 193, sq.

(ll) WILDE l. c. Cap. 3, Sect. 1, §. 3, cc. 3 & 4 p. 247.

(mm) Maximum, quo Ingiwaldus quietos ac tranquillos imperio suo subjectarum provinciarum incolas continere valuerit, præsidium, e legitima earum administratione (cum præfectos, sine dubio justos, illis, teste Sturton. loc. cit., præponeret), tibi quæsisse, verisimile est. Cfr. Lagerbring l. c. Cap. 3, §. 33.

rege gestas, fatis quidem diligenter tractant, plane nullam mentionem faciunt motuum seditiosorum, quibus concussa fuisset subactarum provinciarum aliqua, regulo jam orbata (mm). Neque dubium est, quin, cum subditi *Ingialdi* intelligerent legiferum Uplandiæ, *Vigberum Spa*, auspiciis tyranni, sine æmulo jam imperantis, legibus colligendis condendisque operam navate (nn), in spem brevi adducti fuissent, vetera sua jura consuetudinesque dilectas legum sanctitate ab *Ingialda* iri communitas, ni interitus regis, odio civium recenti telisque *Ivari Widfadmæ* ultricibus perterriti, pristinas resecare spes novamque rerum faciem exspectare, incolas regni anxios subito jusisset.

Quæ ejusmodi *Ingialdi* facta fataque non parum sane ad id contuliste videntur, ut intentiores abhinc cives, ad communes suas utilitates curandas redderentur. Dolo simul ac perfidia, qua regulos ceterosque potentiores provinciarum præfectos deceperat, & manifestam æque ac crudelem iis intulerat injuriam, opinionis de divino stirpis regniæ ortu fundamenta si non prorsus disjecta at saltem concussa vehementer fuisset, facile credas.

Cæca autem in reges fiducia, ab animis omnium ad communem rerum civilium curam arrectis, jam expulsa, insigni fæce adjumento civibus fuisse videntur, tam cetera qualiacunque consilia, quibus ad publicam securitatem & pacem stabiliendam contulerat *Ingialdus*, quam inprimis inclyta illa, de qua mentionem fecimus, ejus patrocinio & jussu suscepta legum collectio. Simulac enim hæc

(m) V. *Proœmium Legg. Uppland. a BERGERO reg. edit.*